

100 Vix ego, vix, inquam, tono dum Sanctissimi
(ma verba
Illicet et panis perit, et fit Corpus JESU,
Protinus et vinum nullum est; sed Sanguis JESU;
Solaque jam superest mera vini et panis imago!
Quantus amor! Quantus! Proh sanctum no-
(men Amoris
105 Usque profanatum! Nunc demum quid sit
(amare
Agnosco. Solus nempe o! Sincerus Amator
Tu DEUS. Et vere DEUS alte *Absconditus* es Tu.



UNUS EST DEUS.

Ad Rom. 3. v. 30.

Pater, Verbum, et
Spiritus Sanctus; et
hi tres unum sunt.

1.^a Jo. 5. v. 7.

CARMEN IX.

Artificem magnum esse aliquem, qui Sidera,
coelum,
Qui Mare, qui Terras, qui totum hunc finxerit
(orbem,
Usque patet. Vel dormitanti occurrit ubique,
Et se prodit ubique DEUS. Sunt omnia plena
5 Numine, plena DEO. Nulla unquam hoc ausa
(negare
Gens, vel inaccessa septem subjecta Trioni
(Quamquam aversus equos terris Sol jungit ab
(illis)
Vel quae gens (nuper male credita barbara) Sole
Sub medio, totis et luce, et Sole fruuntur.
10 Non homo; sed stipes, sed dura et inho-
(spita rupes,
Qui nullum sentit, nullum qui Numen adorat.
Peccarunt homines contra, nec mitius: Unum
Divisere DEUM in plures, deliria quaeque,
Monstraque nil veriti, pro Relligione pascisci.

15 Non tot, cum fluctus tollit Mare, conspuit
(algas,
 Nec tot in immenso exiguae sunt littore arenae,
 Nec totidem viles herbae nascuntur in agris,
 Quot sibi stulti homines fecerunt Numina, quot-
(que
 Invexere DEOS. Spissam, insanamque catervam,
 20 Ridiculamque, et cui nulli satis esse ca-
(chinni.
 Nempe Dij illi omnes fures, et adultera turba,
 Zelotypi rixas inter se, et jurgia miscent:
 Ut miscere solent, multa vi, cornua tauri,
 Quis nemori imperitet, quem bucula pulchra
(sequatur.
 25 Fulmina, sudore horrendo, duroque labore
 Claudus otroque pede infelix Ferrarius unus
 Cudit Vulcanus: quod si ipsum incudis et ignis
 Taedet, si pigeat furni, nigraeque coquinae,
 Tum quid agant illi? Fac indignentur. Inermes
 30 Nulla Dij possint jam mittere fulmina, nul-
(los
 Jupiter in terras jaculari e nubibus ignes.
 Quam lenis, mitisque est jam bona turba Deo-
(rum!
 Ridicula insanæ, et miserae deliria mentis,
 Et quorum pueros trimos, bimosque puderet!
 35 Nonne Dij plures si sint, certare necesse
(est,
 Utro possit uter plus? Qui non omnia possit,
 Non erit ille DEUS; sed inanis fabula vulgi.
 Este pares omnes. Pejus tum, viribus aequis,
 Concurrent, luctabuntur, poteruntque vicissim,
 40 Alternas rapere, et raptas avertere prædas,

En Numen, duo si fuerint vel Numina, nullum est.
 Nempe unum est Numen, DEUS unus, originis
expers
 Ab se se, Æternus, qui nunquam inceperit esse
 A quo principium, quotquot sunt, omnia ducunt:
 45 Unus et Omnipotens Supremus et arbiter
(orbis,
 Omnia qui fieri, verbo uno, voceque jussit,
 Factaque sunt: idem et qui fecit, cuncta coërcet,
 Imperioque regit, nullis consortibus, unus.
 Nec semel est unus; sed ter: neque enim exigit
(ævum
 50 Prole carens DEUS. Essetne infœcundus,
(et orbus?
 Non ita: Prole pari gaudet, Divinus et ipse
 Filius est, Divinum et amorem spirat uterque.
 Arcanum o! Mysterium inenarrabile linguis!
 Cum non sint plures, sit cum DEUS unus et idem;
 55 Est Pater, est Verbum, Sanctus quoque
(Spiritus ipse est:
 Trinus et est DEUS, et numero DEUS impare
(gaudet.
 Tres sunt, et rursus sunt idemmet DEUS hi Tres.
 Filius est Patri æqualis, Patrique coævus,
 Deque DEO verus DEUS, et de Lumine Lumen,
 60 Est et uterque æque Omnipotens, Æternus
(uterque.
 Omnipotens, Æternus item est qui Spiritus æmus
 A Patre, et Verbo procedit, tanquam ab eodem
 Principio, sine principio, nec Filius, ipse,
 Nec genitus; DEUS est tamen, et Spirabile Nu-
(men,

65 Nec tres Dij, tresve Æterni, tresve Omni-
(potentes
Sunt, aut tres Domini. Quin contra, est ut DEUS
(unus
Unus item Æternus, Dominusque est, Omnipotensque.
(tensque.
Una est Majestas, eademque potentia, et unus
Quotquot sunt rerum, magni et Moderator Olympi.

70 Sed quid ego hæc balbutire impurissimus
(ore?
Ipsi en cœlestes Genij proni, atque stupore
Attoniti ingeminant ter *Sanctum*; plura nec audent.
Impuro, turpi digitum ori impono, silesco.



JUSTITIA.

Reddet unicuique
secundum opera ejus.

Ad Rom. 2. v. 6.

CARMEN X.

Credite Mortales: DEUS est Justissimus unus:
Unus falli unquam, flecti unquam nescius ille est.
Nempe DEUS: Lux est: lucis ritu omnia lu-
(strat,
Et fugat, et late circum omnes discutit umbras.

5 Quin tenebrosa etiam humani penetralia
(cordis
Rimatur. quidquid clam pectore, menteque vol-
(vis,

Ipsè videt. Nullas fas hic innectere fraudes,
Nec jam mercari, aut emptos obtrudere testes,
Insanumve forum, falsa aut tabularia possis.

10 Non ille aut damnare pios, aut solvere son-
(tes

Ignorans quid agat temere delusus iniquis
Testibus. Humanus nempe hic, et pessimus error.

Deinde odium nullum, nulla illum gratia flectit.
Non patitur quemquam peccare impune. Perinde

15 Ipsi est quidquid eris, seu Rex, sive infima
(plebes.

Quidquid sint homines, coram illo nil sumus o-
(mnes.

Non quid quis fuerit sed quid quisque egerit unus,
Expendit, libransque æquato examine lances,
Præmia, pro meritis, aut pœnas cuique rependit.

20 Fert equidem dextra palmas, ensemque
(sinistra;

Ipsius ad nutum volat atra, et jussa facessit
Mors. Idcirco homines æquo pede proterit omnes,
Et nihil Heröas, Reges nihil illa veretur.

Quid DEUS? Haud equidem passim excandescit
(in horas,

More hominum; sed enim quamquam est lentis-
(simus ira,

25 Ira terribilis DEUS est, iraque tremendus.
Cunctatur, silet, expectat multumque diuque;
Prorumpit demum, et quas dudum continet iras
Effundit. Veluti indignatur, et aggere rupto,
Quo stagnabat iners olim, et sine murmure, tan-
(dem

30 Ingens præcipitat spumoso vortice flumen,
Secum iras, stragemque ferens, sonitumque me-
(tumque,

Et certam sylvis, gregibusque virisque ruinam.
Vix illac Pastor stans forte in vertice rupis
Evasit, stragemque oculis exterritus hausit.

35 Nec meminit jacturam ovium, pecorumque
(suorum:

Nam sibi adhuc horrens totus, montique veretur,
Sed nihil ista, nihil. Majores aggerat iras
Omnipotens. Immortales accendier ignes
Jussit, et angusto, et tenebroso carcere condi,

40 Qua coit in centrum Tellus. Furit intus
(anhelus

Ignis, et obstructæ horrescunt lugubrius umbræ.
Ne tu Tartareum Phlegetonta, amnemque seve-
(rum,

Neve puta hic Stygiam pigram tristemque palu-
(dem.

Ludicra sunt isthaec. Urunt illi acrius ignes.

45 Majores multo quam quas finxere Poëtæ
Solvuntur pœnæ. Quænam sint vera docebo.
Tum cum de nihilo DEUS orbem, et cuncta vo-
(cabat,

Angeli in omnipotentem conspirare superbi
Ausi, præcipites acti, subiere profunda,

50 Et primi tum supplicia illa hausere tre-
(menda.

Hi sunt Tortores hominum: torquentur et ipsi.
Immanes heu tortores, queis mille nocendi
Artes, insidiæ mille et sævissima semper

Et mixta invidiæ rabies: quod mitior usque est,
55 Erga homines DEUS, et nec promptas e-
(xerit iras

Nec statim ut peccant cogit jam pendere pœnas.
Quin ut pœniteant rogat, invitatque benignus;
Nec nisi post seram vult plectere crimina mor-
(tem.

Ergo indignantes illi in miracula rerum

60 Transformant se se. Tygres modo sunt,
(modoque ursi,

Impastique lupi, atque ungues rictusque minaces
Exsaturant odijs, ululantque et morsibus hærent.
Fit jam qui nuper Tygris de Tygride vultur,

Sanguinem edax inhiat miserorum, et viscera
(tundit.

70 Ast alij induti furias et terga draconum,
Vipereos stringunt ad pectora collaque nodos.
Sed quis fando, illas queat unquam dicere pœ-
(nas?

Aut infanda ullis tormenta includere verbis?
Eminet in pœnis hoc unum, et acerbius hoc est,

75 Quod nunquam miseri sperant finire do-
(lores.
Heu! Suspirabunt mortem, mortemque voca-
(bunt

Incassum! Absorti nunquam absumentur ab igne!
Semper erunt, vincti vinclis, tractisque catenis,
Inter commixtas ultoribus ignibus umbras,

80 Inter et ultrices vivaci sulphure flammæ.
Haec DEUS in sontes nolens, et pene coactus.

Sed quam ultro ille pijs ingentia præmia, pal-
(mas
Dividet, et facit immensum, æternumque beatos?
Obstructas cœlorum olim, nullique patentes

85 Ipse suo aspersas confregit sanguine por-
(tas.

Jamque manent secunda pios felicia regna
Quo prior ascendit conspersus sanguine Victor,
Inter plaudentum choros, citharasque canentum,
Tympanaque, et strepitus inter, fremitusque tu-
(barum,

90 Quosque alios faustos late plaususque jo-
(cosque,
Undique concrepuit totus lætissimus orbis.
Divitias Regum spernunt. Opulentius illi

Regnant. Sublimes Solem ipsum et Sidera cal-
(cant:
Nulli ibi sunt gemitus, aut luctus. Quidquid a-
(cerbi est

95 Inter mortales, illis longe exulat oris.
Nam lacrymas DEUS ipse manu detergit amica
Sanctorum ex oculis. Procul hinc Letumque,
(Laborque,
Angorque, et Mærorum teterrima nubila, et omnes
Quæ tacitæ rodunt mortalia pectora curæ.

100 Risus ubique, et ubique lepos, et plena
(voluptas,
Tutaque jam tentant sanctissima gaudia pectus.
Regnat ibi Pax alma, et adhuc placidissima vul-
(tu,
Quamvis cana Fides, quæ vix vestigia quon-
(dam

Impressere sui titubata, fugacia, Terris.

105 Regnat ubique et Amor, Solis nam sedi-
(bus illis
Est sincerus Amor. Beat ille hilaratque Beatos.
Non sic se se aliquis, quin tantum diligat omnes
Felices Socios, fortunatasque sodales.

Alter in amplexu alterius suavissimus hæret,
110 Exultant, plauduntque sibi, gaudentque
(vicissim,

Alter et alterius gestit, saltatque triumphis.
Deliciarum sed tantarum fons et origo
Ipse illis DEUS est, felices cominus illum
Aspiciunt: nam cesserunt aenigmata, et umbræ,
115 Quæ procul accessu Divini Luminis ar-
(cent,

Mortalesque hebetant visus, oculosque profa-
(nos;

Illi autem totum aspiciunt, totoque fruuntur:
Nec capit humanum tam grandia gaudia pectus.
Vos o ! Felices estis, nimiumque beati!

120 Felicesque eritis donec DEUS altus Olym-
[po

Regnabit, sceptrumque manu imperiumque te-
(nebit!

Omnipotentem o! Magnificum! Qui praemia
(tanta

Invitus poenas, sed praemia dividit ultro.



PROVIDENTIA.

Vestri autem capilli
capitis omnes numerati
sunt.

Matth. 10. v. 30.

CARMEN XI.

Et Pater, et Dominus DEUS est. Sublimis
(Olympo

Et circumspiciens terras inde arduus omnes,
Se circum effundit, ceu Sol, et humillima quæ-
(que

Respicit, et nutrit, recreatque, fovetque calore.

5 Excubias agit insomnes noctesque diesque
Providus, et toti DEUS unus sufficit orbi.

Omnia sunt illi curae, et nil negligit unquam,
Nec cadit in laqueum, illius sine numine, passer.
Nil tamen haec angit, nihil illum haec cura fa-
(tigat.

10 Praecipue nobis mirum est ut providet
(ille.

Utcumque exiguae res sint, utcumque minutae,
Si modo nos homines tangunt, aut tangere pos-
(sunt,

Sollicitant illum: sumus et sua maxima cura:
Dissimulat certe, et tacitus plerumque silesit

15 Quidquid agant homines: nec confestim
(irruit ultor,

Nec manicas manibus, pedibus nec vincula ne-
(ctit,

Nec Libertati sceleratos impedit usus.
Interea ille tamen placido regit omnia nutu
Quidquid contra homines tendant, frustra que
(repugnet.

20 Net fila ipse manu, stamen sub tegmine
(textit:

Et quamvis rumpi interdum, invertique videntur:
Nunquam fila tamen coepto de tramite aberrant.

En puerum Hebraeum tetro de caroere ra-
(ptum

Evehit ad solium. Tota illum Ægiptus adorat

25 Sublimem curru, et diademate tempora
(cinctum,

En quorsum fraterna odia, et quorsum impia
(vinclat

Ipsi illum fratres prono jam poplite adorant,
Olim quem Puerum iusontem et nil tale meren-
(tem,

Post intentatam crudeli finere mortem,

30 Nil veriti tanquam vilem venundare ser-
(vum.

Et paria Annales millena exempla ministrant.

I nunc et dubita, DEUS an mortalia curet?

An nullo Rectore fluant caeco omnia casu?

Aude, inferque DEO lucem, sancitoque leges,

35 Queis melius deinceps regat, et sapientius
(orbem.

Ille quidem sinit interdum se extollere sontes,
Divitiisque onerat multis, et prosperat auro;
Interea sinit in vinclis, luctuque jacere,

Paupertate premi, rerumque esse omnium ege-
(nos,

40 Vexarique pios. Hoc tu miraris, et audes
Cur hoc tam lentus patiat? poscere causas.

Tu ne quid expediat monstrare, DEUM que do-
(cere?

Quae sint, quae fuerint, quaenam et ventura
(sequentur

Quaeque forent etiam, paullum si verteret ordo

45 Qui nunc est rerum videt, et DEUS aspicit
(unus.

Tu quis homo es? Num tu ista vides, et cernis
(acutus?

Dic mihi, si nosti, quam ex parte aëra rupit,
Quod tete afflavit vibratum fulmen ab alto?

Quamve viam tenuit volitans nervo acta sagitta?

50 Quosve Maris fluctus veniens fidit uncta
(carina?

Ergo age sume tibi Mundi Rectoris habenas,

Et certas praescribe vias, et dicito leges,

Queis Sol, Luna, suos peragant et sidera cursus.

Heu miseros, caecosque homines! Nil cernere
(totum

55 Nec sua, nec semet regere et bene nosce-
(re possunt!

Jam pridem miseros, caecosque ab origine prima

Nos miseri et caeci primi genuere parentes,

Nigra albis passim confundimus albaque nigris.

Nescis heu nescis quae poenae sontibus instant

60 A tergo, nec quanta Pios spectantque ma-
(nentque

Praemia. Quem cernis sublimen incedere curru

Isacidem Puerum sceptrum et diadema geren-
 (tem;
 Num miraris adhuc quondam traxisse catenas?
 Quin nihil ista, inquis, si gloria tanta manebat.

65 Quid si conspiceres et dona et regna bea-
 (ta,
 Quae parat ille pijs? Quid si tormenta nefanda,
 Et poenas quibus exercet, torquetque nocentes?
 Desine, qui fecit regat ipse, et temperet orbem,
 Ille quid expediat melius te, atque omnia novit.

70 Praeterea urit amor nostri, curaeque pa-
 (ternae
 Exercent illum, mentemque oculosque benignos
 In nos intentos habet, et nec dimovet unquam.
 Num teneri Infantis capientne obliviam Matrem? (a)
 Fac capiant: Pueri fuerit fac immemor illa;

75 At non ulla tui mihi par oblivio repet,
 Cura tui nostro nunquam de pectore abibit:
 Alte infixam manens nunquam haec mihi cura re-
 (cedet.

Sic DEUS ipse suum nobis testatur amorem.
 Quis tantum sperare unquam, aut quis credere
 (tantum?

80 Sed quaenam ulla suum Puerum sic Ma-
 (ter amavit
 Sollicita ut viles velit aut numerare capillos,
 Aut curare etiam Puero an quis decidat ullus?
 Ergone tanta DEUM nostri haec quoque cura
 (subire?
 Tanta quidem. Tanto plus nosquam Mater ama-
 (vit!

(a) Isaiæ 49. v. 15.

85 Ut Gallina suos glocitans vocat anxia pul-
 (los,
 Amplexuque fovet blando, et circumtegit alis, (a)
 Sic DEUS (exemplum DEUS hoc nos ipse doce-
 (bat)

Errantes licet usque vocat gemituque requirit
 Anxius ut veniant: obsurdescentibus ipsis,
 90 Invitisque ipsis blandissima tegmina pan-
 (dit

Alarum: ingratosque etiam recreatque fovetque,
 Atque sua circum materna protegit umbra.
 Mirarisne DEUM se se his componere rebus
 His uti exemplis? Nil dedignantur Amantes.

95 Quisquis vos, inquit, conatus laedere, tan-
 (git,
 Pupillam ille mihi pungit fodit impius ipsam. (b)
 Hactenus ingratos homines DEUS almus ama-
 vit!

Hactenus et solers, et nos, et nostra tuetur!



(a) Mat. 23. v. 37.

(b) Zachar. 2. v. 8.